diriſsima famis rabie, horribiliter emoriuntur. Nonnullorum
morbi tam ſunt acuti atq; horribiles, ut ſe in pecudes brutas
tranſformatos credant, itaq; miſerrimè vitā ſuā finiunt.
Hi deniq; aquâ, illi igni, iſti frigore, illi calore depere-
unt. Sed omnium horum malorum peſsimum, omniū ter-
ribilium terribiliſsimū, omniū deniq; horrendorū horren-
diſsimum ē, quod iam dicturus ſum. Percurramus
quaſo terram totius orbis univerſam, reperiemus quidem
plurimos diverſiſsimis, ut iam diximus modis interiiſſe: atta-
men longe plurimos non tantū quoad corpus, ſz etiā, ô Deus!
quoad animam infeliciter interiiſſe, interireq; conſtat.
Sed per quid? an per blaſphemiam et iniuriam? magnū
id malū ē, an per furtum et rapinam? grande etiā hoc
nefas ē, an per cædem et latrocinium? peſsimū omnium hoc
crimen ē. an verò per licentiā evagationemq; oculorum?
hoc hoc unicum ē, hoc omniū malorū peſsimū eſt.
nequius enim oculo quid creatū ē? hic rationis lumen
extinguit, ingenij aciem obtundit, intima præcordia infla-
mat, ſenſus illecebris ac præſtigijs quibusdam irretit, cum